

.xlviiii. IN ASSUMPTIONE SANCTE MARIE

SCiendum est fratres karissimi et omnibus exponendum fidelibus .  
quod post ascensionem domini nostri iesu christi saluatoris mun-  
di cum magna gloria ab alto caelorum . descendit angelus  
domini ad sanctam mariam cum esset in templo dei . diebus ac nocti-  
bus uigilans et orans in secretis locis . cum ceteris sanctis uir-  
ginibus dicens ad eam . Exsurge maria . et accipe pal-  
mam luminis quam nunc tibi detuli . et scito quoniam post tres  
dies de hoc mundo assumenda es . et ecce mittam omnes  
apostolos . Et dixit illi maria . Peto domine . ut dicas mihi  
nomen tuum . Et dixit ei angelus . Quid queris nomen  
meum . quod est magnum et mirabile . Et cum hoc audis-  
set maria . ascendit in montem oliueti et orauit ibi . tenens  
palmam in manu quam acceperat de manu angeli . et ga-  
uisa est gaudio magno . cum omnibus qui ibidem erant .  
Angelus autem qui uenerat ad eam . ascendit in caelum  
/114r/ cum magno lumine . Maria uero reuersa est in domum suam .  
et recondit palmam cum magno honore . et deposuit uestem qua  
induta erat . et lauit secreto corpus suum . et induit se  
ueste optima et postea gaudens benedicebat dominum et di-  
cebat . Benedico nomen tuum domine . sanctum et laudabile in  
aeterna secula . et peto ut des super me benedictionem . ut nul-  
la potestas . possit inimici occurrere mihi in illa hora  
cum me iusseris de hoc seculo recedere . Et cum hec dixisset in-  
uitauit uicinos et propinquos dicens eis . Audite me nunc  
omnes et credite quod dico . Quoniam cras egrediar de corpore . Et  
uado `ad` dominum meum iesum christum . Et ideo peto uos ut uigiletis  
usque in illam horam . qua sum recessura . Hoc enim scitote .  
quod quando exit unusquisque homo de corpore . Occur-

runt ei duo angeli . unus iustitię . et alter iniquitatis .  
Et si inuenerit angelus iustitię in illo homine opera bona .  
deducet gaudens animam eius ad locum iustorum . Et tunc  
deflet angelus iniquitatis . quia nihil operis sui potuit  
inuenire in eo . Et si iterum angelus iniquitatis inue-  
nerit opera mala in illo . gaudet et assumet secum alios .  
et deducunt animam eius ad locum poenarum . et tunc  
angelus iustitię recedet tristis . Et dixerunt qui cum  
illa erant . Quid nos acturi sumus si tu contristaris  
de hac re . cui certum est regnum aperire caelorum .  
Et cum loquerentur . ecce subito aduenit beatus iohannes .  
et percussit hostium domus marię et ingressus est . At ubi  
uidit eum maria suspirans fleuit . et clamauit uoce  
magna dicens . Pater iohannes memor esto preceptorum  
domini mei magistri tui . quibus me tibi commendauit  
/114v/ in die qua recessit a nobis passus pro nostra salute . Et dixit `ad` eam  
iohannes . Quid uis mater ut faciam tibi? Respondit ma-  
ria . Hoc quero et postulo . Ut custodias corpus meum et com-  
ponas illud in monumento . quoniam die crastina recessura sum  
de corpore . Audiui enim iudeos dicentes . Sustineamus  
quando moriatur . Ut possimus corpus eius inuenire  
et igne comburamus . Et cum haec audisset sanctus iohannes quod  
esset recessura de corpore . fleuit in conspectu domini dicens .  
[.v.] O domine quid sumus . quibus demonstrasti tantas tribulatio-  
nes? et tunc ostendit ei maria uestimenta . que poneret  
ad sepulturam eius . Ostendit ei et palmam luminis . quam  
dederat ei angelus et dixit ad eum . Rogo te pater iohannes .  
ut portes hanc palmam ante lectum meum cum de hoc cor-  
pore fuero assumpta . Et dixit iohannes . Hoc non pos-  
sum maria facere solus . nisi aduenerint fratres et coapostoli  
mei . Et ecce subito ad hanc uocem omnes apostoli cum nubi

bus . deducti sunt . et depositi ad hostium domus marię .  
et uidentes salutauerunt se inuicem dicentes . Domine tibi  
gratias agimus . quia completum est hodie dictum prophetę dicen-  
tis . Ecce quam bonum et quam iocundum . habitare fratres in  
unum . [.vi.] Et dixerunt ad inuicem . Oremus ad dominum . ut  
ostendat nobis causam congregandi in unum . Et dixit  
petrus . Surge frater paule . et ora prior pro nobis . Et re-  
spondit . Quomodo potero prior orare . Cum sis tu  
columna luminis et princeps apostolorum . sed et omnes  
qui constant fratres . meliores mei sunt . Tu ergo ora pro nobis  
omnibus . ut gratia dei sit nobiscum . Et tunc gauisi sunt  
apostoli propter humilitatem pauli . et sic petrus expan-  
/115r/sis manibus orauit dicens . Domine deus omnipotens qui sedes super che-  
rubin et abyssos intueris . ad te leuamus manus nostras in si-  
militudinem tuę crucis . ut requiem tecum habeamus . quia  
tu es requies nostra . et protectio inuocantibus te in ueritate .  
qui manes in patre et pater in te . cum sancto spiritu ameN .  
Et tunc ingressi sunt omnes ad sanctam mariam . et salutauerunt  
eam magna uoce dicentes . Aue gratia plena . dominus tecum .  
et illa dixit . et uobiscum fratres . Rogo uos ergo . ut reuele-  
tis mihi quomodo hodie hic pariter conuenistis . et quis  
annuntiauit uobis quod recessura sum de corpore . Et  
sanctus iohannes primum dixit . Ego cum essem in ciuitate do-  
cens circa horam nonam descendit nub`e´s preclara in eodem  
loco in quo eramus . et circumdedit me et rapuit de me-  
dio eorum uidentibus cunctis qui ibidem erant . et attu-  
lit hic . Et inueni populum multum circa mariam . dicen-  
tem se de corpore exituram . Et ideo ammoneo uos noli-  
te flere coram populo . Ne incipiant dubii esse . dicen-  
tes in cordibus suis . ~~Confortemus nos ergo inuicem~~  
Vt quid timent hi mortem . cum sint apostoli et aliis predi-

cent resurrectionem? Confortemus nos ergo inuicem  
ut omnis populus possit firmus esse et non dubius in  
fide et opere . Et sic omnes apostoli exposuerunt . quemadmo-  
dum unusquisque de suis locis ubi predicabant diuina  
prescientia dei rapti sunt . et ibidem depositi . Et gaudens  
sancta maria in spiritu sancto dixit . Benedico te domine . qui ad  
meam commutationem omnes apostolos uocasti . Benedico nomen  
tuum sanctum . quod est et permanet in secula seculorum amen .  
Post haec inuitauit eos maria in cubiculo suo . et ostendit  
/115v/ eis omne indumentum sepulture in quo recessura esset . de cor-  
pore . Et tunc beatus petrus p̄cessit apostolis et omni  
populo dicens . Sint omnium lampades accense fratres .  
et uigilemus animo et spiritu . ut cum uenerit dominus inuenerit  
nos omnes unanimiter uigilantes . et inluminet nos diui-  
na gratia spiritus sancti . Et iterum dixit eis . Nolite suspicari mor-  
tem esse mariae . non enim illi est mors . sed uita . Quoniam mors  
sanctorum laudabilis est apud deum . Et cum haec diceret . subito  
lumen magnum refulsit in domum illam . ut uix posset  
aliquis conspicere aut narrare p̄ magnitudine lumi-  
nis . Et facta est uox ad petrum apostolum dicens . Ecce ego  
uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem  
seculi . Petrus uero haec audiens et eleuans uocem suam  
dixit . Benedicimus ergo te domine gubernator anima-  
rum nostrarum et petimus . ut a nobis non discedas . sed mise-  
rearis semper nostri . et omnium christianorum in tuo nomine  
credentium . Et cum haec et multa his similia dixisset  
beatus petrus . surgens maria exiuit foras et oratio-  
nem orauit . quę ei p̄dicta fuerat ab angelo . Et com-  
pleta oratione . reuersa est in domum . et sic decubuit  
super lectum suum . Et beatus petrus sedebat ad caput  
eius . et circa lectum alii apostoli . circa autem horam diei

sextam . subito factum est tonitruum magnum . et odor  
suauissimus uenit . et totam domum repleuit . Ita ut pre-  
nimia suauitate omnes obdormirent qui ibidem erant .  
Exceptis apostolis et tribus uirginibus quibus manda-  
uerat maria . sine intermissione uigilare . ut uide-  
rent gloriam assumptionis eius et testificarentur aliis .  
/116r/ Post haec autem omnibus dormientibus subito uenit dominus noster  
iesus christus per nubem cum multitudine angelorum . Et in-  
gressus est domum in qua iacebat maria . Et michael  
princeps angelorum coepit ymnum dicerere . cum multi-  
tudine angelorum . et cum choris omnium sanctorum . Et cum ui-  
disset maria filium et dominum suum benedixit eum dicens .  
Benedico te domine . quia implesti quęcumque promisisti mihi .  
Non enim possum tantam gratiarum actionem nomini  
tuo rependere . quae in me conferre dignatus es . Et  
sic placide et benigne suscepit animam eius . et tra-  
didit eam sancto michaeli angelo niue candidiorem . Et in-  
terrogauit petrus dominum dicens . Quis de nobis domine  
habet animam candidam sicut maria? et dixit ei dominus .  
Scito petre . quoniam omnium electorum meorum animae tales  
sunt . qualem uidisti animam eius . Et iterum dixit  
ad eum saluator . Accipe petre corpus mariae .  
et ingredere in dexteram partem ciuitatis et inuenies  
ibi monumentum nouum . et in ipso monumento componite  
corpus . et custodite illud sicut mandauit uobis quoniam  
templum est dei uiui . Deinde post haec tres uirgines  
quae uigilauerunt sine intermissione . Lauerunt  
corpus eius et posuerunt illud super feretrum . Et omnes  
qui dormierant pro suauitate odoris surrexerunt .  
Petrus autem attulit palmam quam acceperat maria de  
manu angeli . Et dixit ad iohannem . Virgo es . et tu de-

bes precedere lectum . et hanc palmam portare et dicere laudem deo . Et dixit iohannes . Tu precedis nos in apostolatu . tu debes precedere et portare illam .

/116v/ donec offeramus eum ad locum ubi pręcepit dominus . Et sic surgentes apostoli leuauerunt lectum portantes eam in manibus suis . Dominus uero protexit lectum et apostolos in nube et portantes lectum laudem dicebant . Petrus coepit . Exiit israhel de egypto ALLELVIA . Alii dicebant . qui conuertit aridam `uel solida` petram in stagnum aquae . et rupem in fontes aquarum . et iterum . Dominus uirtutum ipse est rex gloriae . Illi autem a nullo uidebantur infidelium . dum laudabant dominum . Cum autem audissent principes sacerdotum uocem laudantium . Conturbati uehementer coeperunt dicere ad inuicem . Quae est haec turba et populi multitudo? et dixit quidam ex asstantibus . Maria exiit de mundo . et apostoli circa illam laudes dicunt . Et statim satanas introiuit in eos . et dixere . ad inuicem . Interficiamus apostolos istos . et corpus mariae . igne comburamus . Quae portauit illum seductorem . Et abierunt obuiam eis cum gladiis et fustibus occidere eos . Eadem uero hora angeli . qui erant supra eos in nubibus percusserunt iudeos caecitate . Et cadentes in terram percutiebant capita sua circa parietes . et palpantes manibus suis terram . nesciebant ubi ambularent . Unus autem ex ipsis princeps sacerdotum cum appropinquasset . et uidisset lectum mariae et apostolos ymnum dicentes . Repletus furore et ira magna dixit . Ecce tabernaculum illius qui nos damnauit et omne genus nostrum . Et subito faciens impetum uoluit euertere feretrum . et comprehendere palmam uictoriae : et ad terram deducere . SED statim manus eius ambae aridae factę sunt . et una pars corporis eius

/117r/ tenebatur ad feretrum . et altera pendebat ad terram . Tunc autem flens et heulans deprecabatur apostolos ut soluerent eum . et precipue petrum dicens . Memor esto petre . quid tibi fecerit pater meus . quando te interrogauit ancilla dicens . Vere et tu cum iesu eras . quia tunc excusauit pro te né comprehendereris . Et ego mundo rogo uos . ne me despicatis . Tunc petrus dixit . Non est nostra potestas quid dicis . Sed si credis quod iesus filius dei uiui est . solutus eris . Et respondens dixit . Credimus quidem quod iesus filius dei est . sed inimicus generis humani obcecauit corda nostra . Et dixit ad eum petrus . Tolle manus tuas et fiant sicut antea . et nunc credens . exsurge et accipe palmam uictorię quae est ante lectum marię . et ingredi te ciuitatem et ammone iudaeos qui percussi sunt caecitate dicens eis . Quicumque crediderit in dominum iesum christum quoniam ipse est filius dei uiui . Aperientur oculi eius . Et hanc palmam pone super oculos eorum . et statim recipient uisum . qui autem non crediderint . non uidebit in aeternum . Et abiens princeps sacerdotum inuenit multos in populo gementes et flentes . nichil uidentes . et exposuit eis omnia quae passus fuerat . et quaecumque a petro audierat hortamenta . et quomodo respexisset illum deus et soluisset . Quicumque ergo crediderunt uerbis eius . statim receperunt uisum . Qui autem non crediderunt caeci permanserunt . Uerumptamen apostoli portantes corpus mariae . peruenerunt ad monumentum ubi praedixerat eis iesus . et sepelierunt eam in ualle iosaphath et sedentibus iuxta monumentum . subito /117v/ aduenit iesus cum multitudine angelorum et ait eis . Pax uobis fratres . et sic iussit angelis tolli corpus mariae . nescientibus apostolis ubi transtulerunt illud . Ipsi autem in nubibus

translati sunt per aera ad loca unde uenerant . predican  
tes uerbum dei . Hodie quidem exaltata est sancta maria  
dei genitrix super choros angelorum ad caelestia regna .  
Hodie uirgo uirginum caelos ascendit . quę regem glorię  
in aluo gestare meruit . Gaudete quia cum christo reg  
nat in aeternum . Et ipsa intercedat pro nobis ad dominum  
iesum christum . ut mereamur uitam possidere ęternam .  
per omnia secula seculorum . Amen.